



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LXXXIV. De Apostasia Pruthenorum secunda, quae duravit XV. annis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAPUT LXXXIII.

De

*Combustione Castris Lenceberg
& plurium Pruthenorum.*

EO tempore, quo Prutheni suspecti fuerunt de apostasia, Fr. Wolradus Advocatus Nattangia & Warmia, qui dicebatur Volradus mirabilis (a) & verè ita erat) sedit in collatione cum Nobilibus dictæ terræ in Castro Lencenberg, & post modicum tempus quidam extinxit lumen & invasit fratrem Volradum, & utique occidisset eum, si non fuisset armatus. Reverso posthac lumine ostendit vestes laceratas, & quæsiuit à Nobilibus, quid talis homicida meruisset, responderunt omnes, quod dignus esset comburi; Alia vice idem Fr. Wolradus plures prioribus ad idem Castrum invitavit & dum inebriati murmurare inciperent, de morte ipsius, exiit & clauso ostio dictos Nobiles & totum Castrum redegit in favillam.

ANIMADVERSIO.

(a) Parenthesi inclusa non habentur in Codice Elbingensi.

CAP. LXXXIV.

De

*Apostasia Pruthenorum secunda, quæ
duravit XV. annis.*

Eodem anno in vigilia B. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, Prutheni videntes fratres debilitatos in hoc bello, in Fratribus, armigeris, Equis, armis, & aliis, quæ ad prælium sunt necessaria, addentes mala malis & dolorem super dolorem, apostata-

verunt

*Poppo de Osterna VI. Magister Gener. Ord. Teutonici.
Hartmannus de Grunbach V. Magister Prov. Prussiae.*

verunt à fide & fidelibus iterum, & in errores pristinos sunt relapsi & Sambitæ quendam dictum (a) Glande; Nactangi Henricum (b) Monte; Warmienses Glappum (c) Pogefani Auctumo (d) Barthi Divanum (e) in Capitaneos & Duces sui Exercitus elegerunt.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Antequam baptizatus esset, dicebatur Glande: in Baptismo autem nomen accepit Richardi. Henneb. pag. 53.
(b) Henricus in Baptismo vocatur, cum ante hac dictus esset Monte.
(c) Qui in baptismo victus erat Carolus.
(d) Nicolaus dictus est in Baptismo.
(e) Divanus in Baptismo dictus Otto. Hæc omnia annotavit Dominus Zamelius.

CAP. LXXXV.

De

Multa Christiani effusione Sanguinis.

HI Capitanei & Duces Exercitium statuerunt diem certum ad hoc, ut omnes convenientes in armis, quoscunque fidei Christianæ professores occiderent & usque ad interneccionem delerent; quod & perfecerunt, quia omnes Christianos, quos extra munitiones in terra Pruschia invenerunt quosdam miserabiliter trucidantes; alios captivantes, in perpetuam servitutum deduxerunt, Ecclesias, Capellas & oratoria DEI comburentes, sacramenta Ecclesiæ irreverenter tractantes, vestes sacras & vasa ad illicitos usus pertrahentes, Sacerdotes & ministros alios Ecclesiæ mirabiliter trucidantes. Sambitæ quendam Sacerdotem fratrem Domus Teutonice, qui ad baptizandum eos missus fuerat,